

quod si pars fidelis post conversionem et pacificam cum parte infideli cohabitationem adulterio se polluat, si infidelis hac de causa discedat, non posse adulteram ad alias transire nuptias fruique privilegio fidei; possit vero si adulterium patraverit ante conversionem et baptismum, si parte infideli interpellata, nolit haec cum parte fidelis reconciliari, eamque post repudium denouo suspicere et cum ea pacifice et sine contumelia Creatoris cohabitare.

Non abs re erit et hoc addere, ex sac. congreg. de propaganda fide decisum fuisse, quod si quis vir infidelis primam dimiserit uxorem, postea vero fiat christianus et celato priori coniugio, ineat coram parocho matrimonium cum altera muliere, eiusmodi secundum matrimonium tanquam nullum ac irritum habetur, et secunda uxor sit libera, ac possit cum alio viro catholico nuptias iungere (51).

Item ex SS. inquisitionis responso dicendum est, legitimam uxorem a viro alteri devenditam, et cum quo ad longum tempus cohabitavit, teneri si possit, ad primum maritum se recipere, aut sibi fuga consulere, nec aliter posse eidem conferri baptisma, nisi abiectis adulterinis nexibus se separet ab emptore, excepto articulo mortis, si ipsam peccatorum suorum poenitentiat (52).

A. D. Pompellier vic. apostolico Novae Zelandae an. 1848. duae insequentes quaestiones propositae sunt, quae huc referuntur 1. « Quaeritur utrum duo coniuges infideles quando conversi baptizantur, aut una pars tantum baptizatur, licite possint ambo, vel possit pars fidelis cohabitare cum parte infideli *absque renovatione matrimonialis consensus*. » Responsum porro fuit a sac. S. off. congregatione, quod si dubium nullitatis non sit vere fundatum, *renovatio consensus non est necessaria* (53). 2. « Utrum, si pars fidelis matrimonii sic initi,

(51) Die 5. Aug. 1806.

(52) Die 23. Ianuar. 1805.

(53) Haec autem resolutio confirmat, quod paulo ante affirmavimus de non necessaria renovatione consensus de praeterito matrimonio, cum infideles baptizantur.

» aut confirmati coram proprio missionario, promissione de cohabitatione pacifica a parte non baptizata, prius data, possit disiungi non solum quoad habitationem et torum, sed etiam quoad vinculum, a parte infideli, quae deinceps non vult amplius pacifice coabitare propter partis fidelis religionem; » quaeritur scilicet utrum haec pars fidelis possit valide et licite convolare ad alias nuptias? » Resp. *Affirmative* (54).

Item a vic. apostolico Siam, provinciae Sinensis, an. 1854. proposita fuerunt haec dubia sac. congreg. S. off. nempe 1. « Utrum pontifex dispensare possit ab interpellatione infidelis, stante gravi difficultate. — Resp. *Affirmative*. 2. Utrum neophytus hoc in casu possit contrahere nuptias cum secunda uxore adhuc pagana, mediante dispensatione ab impedimento disparitatis cultus? Qua in hypothesi, quamvis nati filii non fuerint, si secunda uxor spem praebet futurae conversionis, quae situm ulterius est, an possit illam pariter retinere, data dispensatione a disparitate cultus. Demum si secunda uxor consentiat conversioni, satis ne erit neophyto interpellare primam coniugem: an velit converti? » — Resp. iam provisum per synodum Sutchuensem. — *Affirmative*.

II. Dubium. Quaeritur 1. an eius maritus teneatur eam redimere a captivitate, etiamsi divendita ab aliis fuerit, ex. gr. ab illius parentibus, aut a secundo marito, qui eam repudiavit? Resp. « *Affirmative* si potest, id est teneri redimere legitimam uxorem volentem converti, aut saltem cohabitare sine contumelia Creatoris. »

Quaer. 2. Si neophytus duxit secundam uxorem, ex qua filios procreavit, si haec consentiat fidem christianum amplecti, aut cohabitare pacifice, poterit ne ipse eam retinere, *renovato consensu, et data dispensatione, si fuerit necessaria?* Resp. per instructionem an 1854. ex synodo Sutchuensi cap. IX. §. VII. ubi inter caetera adnotatur, post dispensationem ab impedimento disparitatis cultus non posse amplius ullo in casu ma-

(54) Feria V. 20. Sept. approbat. a Pio IX. feria V. 27. Sept.

rimonium solvi quoad vinculum, sed solum quoad torum, quia factum est indissoluble in favorem fidei, et fidelis partis (55).

Et haec de solutione coniugii in infidelitate initi praecipue dicenda erant ad sacrar. congregationum normam. Iam ad alteram quaestionem deveniendum est.

Haud raro infideles coniugia ineunt, quae apud fideles ob irritans impedimentum habentur invalida; ex. gr. in primo vel altero consanguinitatis et affinitatis gradu. Iam si infideles ita matrimonio coniuncti ad fidem convertantur, quaeritur quid de eorum matrimonio censendum sit, an solvi debeat iuxta leges matrimonii christiani, an vero, non obstante impedimento, ratum haberi possit, etiam post baptismum, utpote quod non a fidelibus sed ab infidelibus initum fuerat; an denique necessaria sit dispensatio Ecclesiae, ut eiusmodi ratihabitio locum habeat? Res valde impedita est ac difficultatibus obnoxia ob diversam agendi rationem, quae identidem obtinuit, atque in specie contraria documenta, sive quae ex antiquitate suppetunt, sive quae ex recentiori aevo. Quae quidem omnia harmonice possunt inter se componi si opportunae aptentur distinctiones.

Si matrimonium in infidelitate initum obnoxium erat impedimento orto ex iure divino vel naturali presse sumpto, tum nunquam fuit validum, nec proinde locum habet eius ratihabitio, sed solvi prorsus debet, quum coniuges sunt christiani. Si vero impedimentum erat mere ecclesiasticum, tum per se quemadmodum fuit validum in infidelitate, ita etiam post baptismum validum haberi solet: ac licet infideles quamdiu tales sunt legibus Ecclesiae non subiaceant, posset tamen Ecclesia ab

(55) Synodus Sutchuensis probata an. 1822. extensa fuit an. 1853. ad imperium Sinense, ac regna adiacentia per encyclicam datam vicariis apostolicis his verbis: « Cum Sanctitas sua probaverit et exequi iusserit decretum sac. huius congregationis (de prop. fide), quo synodi Sutchuensis anni 1803. canones et decreta ad omnes episcopatus et vicariatus apostolicos in Sinis et regnis adjacentibus existentes extendantur etc. » Adeoque et ad regnum Siam, Tunchini cum nonnullis modificationibus, quae deinceps factae sunt pro ratione status unicuiusque missionis.

infidelibus exigere, ut ecclesiasticae matrimonii christiani legislationi se conforment post adeptum baptismum, adeoque matrimonium ecclesiastico impedimento initum solvi, vel confirmari quidem, sed ex Ecclesiae dispensatione. Si autem impedimentum fuit partim iuris ecclesiastici, partim iuris naturae latius sumpti, quemadmodum accidit v. gr. in secundo consanguinitatis et in primo affinitatis gradu, potest Ecclesia ea coniugia solvere vel dispensationem dare, ut perseverent, prout prudentia, utilitas, aliaque rerum ac personarum adiuncta suggesterint.

Revera documenta suppetunt pro utraque agendi ratione. Nullum certe subest dubium posse Romanum pontificem infideles ad fidem conversos dispensare, ut in matrimonio persistent talibus in gradibus celebrato. Quin potius nulla eos pontificia relaxatione ab eiusmodi impedimento indigere censemus. Nam cum istiusmodi connubia prohibita, atque irrita facta sint sola lege ecclesiastica sive canonica, quae illos non obligabat cum in infidelitate degerent, his impedimentis, quae proveniunt ex inferioribus consanguinitatis gradibus minime obnoxii erant, adeoque coniugium legitime inierunt. Iam vero poterant ne personas inhabiles efficere ad contrahendum impedimenta, quae quoad ipsos non existebant? Aut poterunt saltem efficere postquam christiani ex infidelibus facti sunt, ut sint illegitime copulati, qui legitime semel fuerunt coniuncti? Nulla igitur dispensatione eiusmodi coniuges opus habent ad fidem conversi, ut in legitimo contracto coniugio perseverent; nec solum separari hac de causa ab invicem non debent, prout statuit Innocentius III. sed neque posse videtur.

Si nullus itaque affinitatis gradus in quavis linea sive recta sive obliqua dirimit matrimonium, prout ex dictis verior tenet sententia, iure naturali presse sumpto, consequens est, coniugia, quae ab infidelibus ante baptismum his in gradibus affinitatis inita sunt, esse vera ac valida, cum non subiiciantur legibus canoniciis, a quibus tantum irrita fiunt. Et reipsa vidimus ab

antiquioribus conciliis post eorum conversionem saltem tolerata fuisse, ac propterea etiam nunc temporis tolerari posse.

Quod si concilium Limanum constituit: « Indi Peruani, qui » matrimonium contraxerunt cum noverca vel nuru non admit- » tantur ad baptismum, nisi prius coniugium praefatum veluti » iure naturae irritum solvant (56): » profecto excessit, dum ceu exploratum ratumque assumpsit, quod non solum incertum est atque a gravissimis auctoribus passim negatur; sed praeterea falsum esse deprehenditur, si agendi rationem consulamus, quam antiqua concilia, ut vidimus, tenuerunt. Nimirum pro certo assumpsit affinitatem, quae ex matrimonio oritur, iure naturae dirimere matrimonium in primo gradu lineae rectae (57). Nisi dicere quis malit, posse Ecclesiam eo sensu, quo alias exposuimus, dirimere coniugia infidelium, quae etsi *vera* sint, attamen nondum *rata* ante baptismum, eam non pree se ferunt firmatatem, quae fidelium coniugii convenit ratione sacramenti, adeo ut, nisi coniugiis infidelium, cum hi ad religionem christianam profitendam accedunt, insint conditiones, quas Ecclesia exposcit, possint conversi, soluta incesta illa coniunctione, ad novas nuptias transire.

Ast hac in hypothesi vix probabili, nova exurgit difficultas, utrum nempe valeat particulare concilium, cuiusmodi fuit Limanum, illas apponere conditiones, ac vera consummataque conubia disiungere, cum hoc nonnisi supremae potestati convenire posse videatur. Nonnisi unus in iure canonico universo casus habetur dissolutionis eiusmodi coniugiorum, cum scilicet altero coniuge ad religionem christianam converso, renuit alter pacifice ac sine contumelia Creatoris cum illo cohabitare. Exinde fit, ut Limanum concilium periculo se exposuerit sanciendi polyga-

(56) Apud Bened. XIV. *De synod. dioeces.* lib. IX. c. XIII. n. 4. celebratum est hoc concilium an. 1583. Cuius acta non secus ac alterius concilii quod in provincia Mexicana est habitum an. 1585. refert card. De Aguirre in *Sua collect. maxima concil. Hispaniac et Novi orbis* tom. IV. pag. 131. et 292. ed. Rom. 1693.

(57) Sane vel ipse Benedictus XIV. loc. cit. id improbat.

miam, dum iis, qui vero coniugio consociati erant, novas ineundi nuptias copiam fecit, altero adhuc vivente coniuge, nec rite dissoluto coniugio. Nisi dicas, speciali facultate ea coniugia apostolica auctoritate solvisse, quum Sextus V. acta eius probaverit (58). Verum et haec omnia in incerto versantur; nam ut vidimus ex Benedicto XIV. non auctoritate Ecclesiae infidelium coniugia dirimuntur, sed Deus ipse est, qui in favorem fidei, hoc indulsit privilegium (59).

Tertia quaestio non respicit matrimonia in infidelitate inita, sed ea, quae sublato impedimento disparitatis cultus, fidelibus inire cum infidelibus Ecclesia permittit. Siquidem apostolica Sedes consuevit, iustis intercedentibus causis, super impedimento disparitatis cultus relaxationem concedere, seu coniugium permettere inter fidelem et infidelem apud barbaras gentes, quae ad christianam religionem convertuntur. Ast longe difficilorem se praebet in hoc ipso impedimento relaxando apud christianos, cum aliquis vult se coniugio copulare cum Iudea, aut aliqua cum Iudeo, nec nisi in iis rerum adiunctis, quae quodammodo id exigere omnino videantur, dispensare solet. Sic paucis ab hinc annis in Galliis dispensatum novimus ast in matrimonio iam iure civili contracto, et ex quo soboles iam fuerat procreata. Caeterum Ecclesia ab his coniugiis semper maxime abhorruit.

Verum quod attinet ad barbaras nationes adhuc infideles, penes quas christiana religio disseminari incipit ac propagari, valde indulgentem Ecclesia se praebuit ac praebet in facultate apostolicis missionariis concedenda, ut ab hoc impedimento disparitatis cultus dispensare possint.

(58) Post triennale examen haec concilia a Sexto V. correcta et probata fuere.

(59) Indissolubilitas matrimonii in genere, adeoque et infidelium divino iure constat ex Decretali Bonifacii VIII. cap. unic. *De votis et votor.* in Sexto « Quod » ...matrimonii vinculum ab ipso Ecclesiae capite rerum omnium conditore, » ipsum in paradiso et in statu innocentiae instituente, unionem et indissolu- » bilitatem acceperit etc. » et ex conc. Trid. sess. XXIV. cap. De matrim. « Matrimonii perpetuum indissolubilemque nexus primus etc. » Ergo sola auctoritate divina solvi potest. Nisi dicas hoc in casu, apost. Sedem interpretrem se gessisse divinae legis.

Etenim novimus a Clemente IX. 23 Ianuar. 1669. concessam fuisse episcopo Heliopolitano tam pro se, quam pro aliis vicariis apostolicis in regnis Sinarum, Tunchini, Cocincinae, aliisque finitimi facultatem, ad annos quindecim proxime futuros dispensandi super impedimento disparitatis cultus, » gravibus tamen ex causis, in quibus dispensandum erit, et in » locis tantum ubi sunt plures infideles quam christiani, ita ut » in eo matrimonio postmodum, quatenus absque Creatoris » contumelia fieri possit, contrahentes remanere libere et licite » valeant, prolesque exinde suscipiendas legitimas decernendi, » super quibus eorumdem vicariorum apostolicorum conscientia » oneratur, et predictae dispensationes gratis concedantur (60).»

Benedictus vero XIV. 15. Febr. 1756. concessit ad biennium episcopis et vicariis apostolicis illarum gentium facultatem dispensandi in disparitate cultus, addita instructione, in qua dicitur: « Si agatur de matrimonio iam *contracto* inter duos infideles, » quorum unus tantum ad fidem convertitur, illi dari potest » dispensatio, ut cum parte infideli remaneat, modo ista sine » contumelia Creatoris cohabitare consentiat, et proles insti- » tuatur in religione catholica (61). Si agatur de matrimonio » *contrahendo* inter fidelem et infidelem, ut possit dari dispen- » satio, praeter duas modo dictas conditiones, requiritur, ut » contrahentes sint in locis, ubi infideles sint plures quam chris- » tiani. Demum si agatur de matrimonii *invalidae contractis* » inter fidelem et infidelem, primo erit monendum fidelis quale » commiserit peccatum, deinde ad tempus separabuntur, si sine » tumultu fieri possit, iniungeturque poenitentia salutaris inte- » rim peragenda, qua persoluta, si adsint duae conditiones in

(60) Ex organo congreg. de propag. fide.

(61) Fateor, me non intelligere quorum data sit haec instructionis pars; nam impedimentum disparitatis cultus non afficit coniuges infideles. Quum vero alter ex coniugibus convertitur ad veram fidem, non dissolvitur coniugium, si infidelis consentiat pacifice vivere et sine contumelia Creatoris cum fidelis, adeo ut opus sit dispensatione. Forte id ipsis pontifex in mentem revocare intendit, aut etiam quia id fert disciplina recepta ob periculum perversionis.

» primo casu requisitae, poterit concedi dispensatio, ut legitime » contrahant, et proles inde nata legitima declarabitur. »

Cumque excitata fuerit quaestio super clausulis in decreto Clementis IX. nuper descripto, nempe 1. *gravibus tamen de causis*; 2. *in locis tantum ubi plures sint infideles quam christiani*; primum dubium solvit sac. congreg. sancti officii rescribens an. 1786. ad episcopum Coricensem, vicarium apostolicum Tunchini orientalis, qui quaesierat: « Utrum per haec: *gravibus tantum de causis*, intelligi possit tanquam causa gravis et sufficiens salus animae illorum, qui tali matrimonio iandiu contracto, absque contumelia Creatoris vixerunt, praesertim si filios genuerint, vel iisdem difficillimum sit ab infideli coniuge separari? » Resp. « Causam expositam in quaesito esse gravem et sufficientem ad impertiendam dispensationem de qua agitur. » Alterum dubium solvit Clemens XII. edicens: « *In his locis tantum, ubi plures sunt infideles quam christiani*, intelligi debere in unoquoque pago; at vero ad instantiam episcopi Coricensis vicarii apostolici Tunchini orientalis, extendit ad unam toparchiam.

Sacra item congregatio de propaganda fide in litteris ad Rochum Iosephum Carpsan, episcopum Sebastensem, coadiutorem vicarii apostolici Fokien in Sinis 4. Febr. 1804. declaravit: « Conditionem appositam in facultate dispensandi super disparitate cultus, *ubi sunt plures infideles quam fideles*, ita intelligendam esse, ut locum habeat, ubi in tota regione, de qua habenda ratio est, plures sint infideles quem fideles, etiamsi in uno aliove pago plures numerentur fideles quam infideles. Illud tamen in concedenda huiusmodi dispensatione pree oculis semper in primisque habendum esse, ut tunc solum impertiatur, ubi partis catholicae perversio ex coniunctione cum infidelis timeri nequaquam possit. »

Tandem Clemens XIII. hac super re in congregacione S. officii 2. Ian 1769. in sequentem instructionem ad missionarios dedit provinciae Sutchuen: « 1. Circa loca, in quibus dispensandi (super impedimento disparitatis cultus) facultate uti debet,

» non dubium est, quod in locis, ubi sunt plures infideles, quam christiani, iure optimo dispensatio concedi possit, animadver-
» tendum est, quod cum missionarius habeat etiam facultatem
» dispensandi super impedimentis consanguinitatis et affinitatis,
» faciliorem se praebere debeat in huiusmodi dispensationibus
» concedendis, si hac ratione matrimonia inter catholicos iungi
» possunt, quam in dandis dispensationibus super disparitate
» cultus, ad effectum, ut catholici cum infidelibus matrimonia
» contrahant.

» 2. Si matrimonia iam inita fuerint inter catholicos et infi-
» deles sine praevia dispensatione impedimenti disparitatis cultus,
» tunc missionarius sequenti more se gerat: curet nempe 1. ut
» eae dispensationes nonnisi vere catholicis indulgeantur, et
» ubi coniux in infidelitate permanens baptizari renuit; 2. ut
» tunc solummodo concedantur, cum ex separatione gravia pra-
» videntur incommoda secutura; 3. Ut eadem dispensationes
» gratis omnino et absque ulla prorsus mercede impertiantur;
» 4. ut in concessione coniugi catholico commendetur, atque
» iniungatur catholica quoque prolis educatio, et quod curare
» debeat, modo quo fieri poterit, coniugis infidelis conversionem;
» 5. ut easdem dispensationes impetrantes instruantur super
» necessaria renovatione consensus, qui ad persecutio-nes et ad
» scandala declinanda sat erit, ut inter solos coniuges privatim
» habeatur, patefacta tamen, quoad fieri poterit, etiam parti
» infideli prioris matrimonii nullitate; 6. ut hac eadem sibi
» indulta facultate missionario extra suae missionis fines uti mi-
» nime liceat.

» 3. Si vero matrimonia contrahenda sint, distinguendum est
» num dispensationem praefati impedimenti petant, qui adulti
» sunt, et in hoc casu missionarius sese conformet omnino
» iuxta instructionem sacrae congregationis de propaganda fide.
» Si vero dispensationem petant parentes pro filiis vel filiabus
» impuberibus, ut eam despontent filiis infidelium iuxta morem
» regionis, abstineat omnino missionarius a concedenda dispen-
» satione; tum solum illam largiatur, cum ambo sponsi ad annos

» pubertatis pervenerint, et mutuum consensum praestiterint,
» servatis semper conditionibus in praesenti instructione sa-
» crae congregationis de propaganda fide contentis. »

Praeterea die 30. Ianuar. 1807. sacra congregatio propagan-
dae fidei ad dubium episcopi Antidonensis vicarii apostolici
Xensi et Xansi: « An queant dispensari super diversitate cultus
» mulieres illae christiana ab antiquo gentilibus, absque praevia
» dispensatione traditae, quibus a maritis libertas quidem con-
» ceditur sese in sacra religione exercendi, sed non est in tuto
» posita proles, aut nata aut nascitura, ut possit baptizari, et in
» christiano ritu educari, vel potius eiusmodi praxis agat contra
» regulas ab ista congregatione pro usu similis dispensationis
» cum S. Thoma datas? » Resp. « Sequendam esse instructio-
» nem, quae in casu perfecte uniformi matrimonia iam contracta
» respiciente vicario apostolico Sutchuen missa fuit ex decreto
» feriae V. die 12. Ian. 1769. »

Die vero 13. Sept. 1760. Eadem congregatio propagandae
fidei in sua epistola ad D. Sallas, vicarium apostolicum Fukien in
Sinis, scribit: « Sapiens agendi ratio, qua Dominatio tua usitur
» in concedendis dispensationibus super impedimentis disparita-
» tis cultus, utique approbatione et laude est digna. 1. regula im-
» mutabilis, quam ecclesia Romana vult pree oculis haberi, est,
» ut in tuto sit fides contrahentis catholici, remoto probabili pe-
» riculo persionis: 2. ut in tuto sit fides prolis, datis debitibus
» cautionibus; 3. ut interveniat probabilis spes de conversione
» contrahentis infidelis, et in locis tantum, ubi plures sunt infi-
» deles quam christiani concedatur haec dispensatio... Domina-
» dio tua optime colligit non debere dispensationem impertiri mu-
» lieribus, quae contrahere volunt cum infidelibus praeter quam
» in casibus rariss et extraordinariis. »

Sic die 3. Ian. 1796. Eadem congregatio ad quintum dubium
episcopi Caradiensis, vicarii apostolici Sutchuen, scilicet: « An
» missionarii dispensare possint in impedimento disparitatis
» cultus cum muliere fideli, quamvis rapta fuerit, nec in loco
» tuto reddit, dummodo ipsa libere in matrimonium consentiat?

» Cum in decreto facultatis extraordinariae, quae ad tempus
 » concedi solet episcopis vicariis apostolicis Indiarum orientalium
 » dispensandi super impedimento disparitatis cultus, omissa sit
 » clausula, quae in aliarum facultatum formulis apposita legitur:
 » dummodo mulier rapta non fuerit, et in potestate raptoris non
 » existat; hoc ipso concessum videtur, quod non est in conce-
 » dentis decreto restrictum. Cum tamen etiam de vi huiusc fa-
 » cultatis extraordinariae dubium exortum sit inter Sinenses, ne
 » suspensi maneat animi de valore matrimonii, responderunt
 » eminentiss. Patres in proposito casu supplicandum pontificem,
 » ut dignetur declarare episcopos et vicarios apostolicos, quibus
 » concessa est extraordinaria illa facultas dispensandi super dis-
 » paritate cultus, uti ea valere, gravibus de causis in singulis ca-
 » sibus, prout in dicto decreto exponitur, etiam in casu quo mulier
 » rapta fuerit, needum tuto loco restituta, constito ante de libero
 » eius consensu in matrimonium, et praehabito partis infidelie
 » consensu in cohabitionem absque contumelia Creatoris. »

« Insuper ut pro tranquillanda conscientia dignetur Sanctitas
 » sua convalidare ad cautelam, et quatenus opus sit, matrimo-
 » nia vi praecedentium dispensationum antea contracta, existente
 » muliere in potestate raptoris, quatenus nullum aliud obstet
 » impedimentum dirimens. Sanctitas sua utrique supplicationi
 » dignata est benigne annuere. »

Item ad sextum dubium eiusdem episcopi Caradiensis,
 videlicet: « An sit concedenda facultas a missionariis petita
 » convalidandi matrimonium mulierum fidelium cum apostatis
 » contractum, seu per vim seu post raptum et antequam ipsae
 » in loco tuto redditiae fuerint? Responderunt eminentiss. Pa-
 » tres consulendum Sanctissimo pro concessione facultatis
 » petitae, dummodo fides mulierum sit in tuto, ipsae libere
 » consentiant, ac possint habitare cum apostata sine contumelia
 » Creatoris; sua Sanctitas benigne dignata est petitam facultatem
 » concedere. »

« In hac porro dispensatione concedenda sedulo pastor mu-
 » lierem admonere non omittat de gravi obligatione qua tene-

» tur omni ope curare, ut per bonam conversationem suam
 » apostamat a suscepta impietate revocatum Christo luceri
 » faciat, tum ut suscepta proles in sanctissima religione insti-
 » tuatur. »

Quum vero in usu earumdem facultatum nonnulli excesserint
 missionarii, hinc Clemente XIII. 1. Augusti 1769. approbante,
 sac. congregatio S. officii decrevit, « Serio iniungendum esse
 » vicariis apostolicis, ut omnes et quoscumque missionarios,
 » cuiuscumque ordinis et instituti, etiam societatis Iesu, qui
 » matrimonii cum impedimento disparitatis cultus et absque
 » dispensatione apostolica contractis interfuerint, aut ut con-
 » trahantur consensum praebuerint, aut sic contrahentibus
 » Ecclesiae sacramenta administraverint, suspendant ab exercitio
 » omnium et quarumcumque facultatum. »

Sub eodem pontifice 23. Iulii 1760. eodemque approbante a
 sac. congreg. de propaganda fide obiurgantur « Qui ausi fuerint
 » dicere, disparitatem cultus nullum inducere impedimentum
 » matrimonii in his regionibus; » iussisque transmitti decreta S.
 officii antehac edita, inter quae illud 18. Novemb. 1745. in
 quo dicitur: « Graviter reprehendendos esse christianos, qui
 » extra ullam dispensationem filios suos collocant in matrimonio
 » cum gentilibus; nihil omittendum esse, ut gravitatem criminis
 » percipient; impositas pro hoc crimine poenitentias debere esse
 » graves, et non leves, nec eorum poenitentiae aut resipiscentiae
 » statim esse fidendum, ita ut ad sacramenta admittantur; esse
 » tamen admittendos postquam praemissis praemittendis certa
 » apparuerint poenitentiae ac resipiscentiae signa. »

Idem pontifex Clemens XIII. 12. Ianuar. 1769. in congrega-
 tione S. officii, relecto eodem decreto 18. Novemb. 1745. addi-
 dit: « Quod missionarius adimpletis exacte omnibus, quae in
 » eodem decreto praescribuntur, poenitentes ad sacramenta
 » admittere non differat, praesertim si praevideat dilationem
 » futuram diuturnam, cum periculo pereundi absque sacra-
 » mentis. »

Quae quidem afferre constitui, tum ut appareat Ecclesiam,

seu apostolicam Sedem , cum opus fuerit ad commune christiani nominis bonum et utilitatem, haud detractare dispensationem etiam ab hoc impedimento disparitatis cultus impetrari ; tum ut innotescat qua sapientia ac prudentia eadem Sedes apostolica in tot occurrentibus rerum adjunctis se gerat , sciatque severitatem cum clementia ac benignitate temperare.

Appendicis instar addere hic iuvat , quod cum quaestione de matrimonii infidelium, quam hoc capite agitavimus, consertum est , quid nimur sentiendum sit de coniugiis , quae sive inter se sive cum catholicis contrahunt quidam haeretici , qui licet christiano nomine insigniantur , tamen infidelibus prorsus similes aut respuunt omnino baptismum , ut Quaqueri , Mennonitae , Swendenborgiani , aliquique eiusmodi; aut qui eius administrationem penitus de facto negligunt , ut non pauci inter protestantes aetate hac nostra , aut invalide illud conferunt ob essentiali vel formae vel materiae defectum.

Difficilis solutionis quaestio non est , dummodo in suas partes dispescatur. Nam si sermo sit de illorum sectariorum coniugio , qui penitus baptismata reiiciunt , vel qui vitiata essentialiter forma vel materia illud conferunt , idem ferendum iudicium ac de coniugiis infidelium , quae valida quidem sunt in ratione contractus naturalis ac mere civilis , quaeque , ut loquitur Innocentius III. vera sunt sed non rata , quia non sunt sacramenta. Cum enim per baptismi ianuam nunquam ingressi sint in Ecclesiam , nulla sacramenta habent , aut habere possunt. Cumque Ecclesiae subditi per baptismum facti non fuerint , nulli ecclesiastico impedimento sunt obnoxii , sed solis impedimentis iuris naturalis atque divini detinentur. Si illorum alteruter ad religionem catholicam veniat , altero in propria secta permanente , neque absque iniuria Creatoris consentiat cum fideli habitare , poterit auctoritate Sedis apostolicae illorum coniugium dirimi. Quod si ambo catholici fiant , ubi mos obtinet , debent suum renovare consensum in facie Ecclesiae , ac benedictionem sacerdotalem recipere. Dixi : ubi mos obtinet , siquidem iuxta non paucos theologos et antiquum Ecclesiae Romanae usum , ut suo

loco adnotavimus , ad ratihabendum connubium christianorum seu eorum , qui ex infidelitate ad religionem christianam convertuntur , sufficit baptismi susceptio , per quam anteactum matrimonium ad dignitatem sacramenti evehitur.

Atque haec de huiusmodi coniugiis , quum ea inter haereticos non baptizatos ineuntur. Nam quoad matrimonia mixta , quae celebrarentur ab aliquo , aut aliqua istiusmodi sectae assecuta cum catholicis aut catholica , absque dubio nulla ac irrita ea forent ob impedimentum disparitatis cultus , a quo solus Romanus pontifex dispensare posset.

Quod vero dictum est de nullitate coniugii inter haereticos responentes baptismata et catholicos initi , affirmari pariter debet de coniugio celebrato ab haereticis alienae sectae , qui baptizati sunt , cum praedictis sectariis , qui christiani nomine tenus ipsum baptismum reiiciunt. Ut enim saepe diximus , haeretici qui per baptismum filii ac subditi Ecclesiae facti sunt , ipsius legibus devincuntur , ac propterea detinentur impedimentis dirimentibus ab ipsa constitutis. Quum vero inter caetera et istud habeatur de disparitate cultus , quo irritae fiunt nuptiae inter baptizatum et non baptizatum , patet praedicta connubia nullius plane esse valoris.

Restat ut de connubiis disseramus eorum haereticorum , qui quamvis theoretice baptismata non respuant , attamen vel ex parentum negligentia aut malitia et perversitate lavacrum regenerationis suscepisse non constat , vel ob ministrorum socordiam ac temeritatem non rite baptismata confertur neglecta vera sive materia sive forma (62). Hac in hypothesi toties supponi debet baptismata , quoties positivis atque ineluctabilibus probationibus non ostenditur illud aut nullatenus , aut non rite fuisse collatum. Quocirca in dubio , quemadmodum praesumptio est pro administrato et quidem rite baptimate , ita et pro valore

(62) Prout saepe in anglicana Ecclesia contingere viri fide digni mihi testati sunt ; et cl. Newman in suis sermonibus , quos in Oratorio habuit , confirmavit dicens , dimidiam fere partem non esse ex sectariis et Anglicanis baptismato rite tinctam.

et legitimitate connubii. Si vero iuridice alterutrum constet, nimis aut non fuisse administratum, aut non debita materia ac forma baptismi collatum, tunc sententia est ferenda pro nullitate coniugii, quod initum esset a baptizato sive catholicis sive haeretico cum infideli, propter impedimentum commemoratum disparitatis cultus.

Quandoquidem autem tum in hoc tum in praecedenti articulo saepius mentionem injecimus privilegii in favorem fidei, de quo agit apostolus J. Cor. VII. 15. *quod si infidelis discedit, discedat*, vi cuius fidelis soluto coniugio ad novas nuptias transit, quaeri non immerito potest, num hoc idem privilegium faveat haereticis? Num scilicet, si aliquis ex Iudaismo, Islamismo aut ethnicismo convertat se ad religionem christianam, profiteatur ex. gr. Lutheranismum, Calvinismum aut Anglicanismum, et pars infidelis renuat pacifice ac sine contumetia Creatoris cum parte conversa cohabitare, possit vi privilegii Paulini transire ad alias nuptias? Videtur affirmative respondendum; plerique enim veteres interpres *illud fidelis* item *frater* aut *soror* intelligent de *baptizatis* in genere (63), ac S. Augustinus applicat textum Paulinum ad Donatistas (64). Adeoque dummodo haeretici aut schismatici rite sint baptizati, fruuntur et spei eiusmodi privilegio. Atque haec hactenus.

(63) Ita S. Hieronymus in comment. in epist. ad Galat. Beda in cit. textum apostoli J. Cor. VII. 15. Item v. Beda in comment. in hunc locum. Et confirmatur ex can. III. *Simili modo caus. 28. 9. 1.* Item ex can. 2. *Si quis eadem causa et quaest. nec non ex can. 4. Uxor eiusd. caus. et quaest. in quibus canonibus frater et soror genuatim de baptizatis et christianis ex sensu apostoli intelliguntur.*

(64) Enarrat. II. in Balon. 52. n. 29. et ex Serm. Domini in monte Lib. I. cap. 22. n. 75. et alibi. Possunt praeterea pro hac sententia plures aliae rationes et auctoritates urgeri, quas silentio praetereo.

SECTIO ALTERA

DE POTESTATE CIVILI

IN MATRIMONIUM CHRISTIANUM.

CAPUT I.

Generalis idea civilis potestatis in Matrimonium Christianum.

ARTICULUS I. — Iura definiuntur civilis potestatis quoad civiles effectus Matrimonii Christiani.

Considerandum est, inquit doctor Angelicus (1), quod quando aliquid ad diversos fines ordinatur, indiget habere diversa dirigentia in finem, quia finis est proportionatus agenti. Generatio autem humana ad multa ordinatur, scilicet ad perpetuitatem speciei, et ad perpetuitatem alicuius boni positivi, puta populi in aliqua civitate: ordinatur etiam ad perpetuitatem Ecclesiae, quae in fidelium collectione consistit. Unde oportet, quod huiusmodi generatio a diversis dirigatur. In quantum igitur ordinatur ad bonum naturae, quod est perpetuitas speciei, dirigitur in finem a natura inclinante ad hunc finem, et sic dicitur esse *naturae officium*. In quantum autem ordinatur ad bonum *politicum* subiaceat ordinationi *civilis legis*. In quantum autem ordinatur ad bonum Ecclesiae, oportet quod subiaceat regimini *Ecclesiastico*. Brevius idem docet dum ait (2): « Matrimonium in quantum est in officium naturae, statuitur *lege naturae*; in quantum est in officium communitatis, statuitur *lege civili*; in quan-

(1) Lib. IV. *Contr. gent.* cap. LXXVIII.

(2) In IV. *Sent.* dist. 34 art. II. q. 1. ad. 4.